

Grundbuch

I

5

N^o 3^d

Zur Bibliothek des Königl. Kollationsamtes
Militär- und Ingenieur-
Korps

PECCATVM
IN
SPIRITVM SANCTVM.

A D
SACRA PENTECOSTES
PIE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA COMMENTATIO
TERTIA.

LITTERIS STRAUSSIANIS.

betibus
orafer-
nantur.
i officii
veltra
enigni-
que gra-
atque
nt spiri-
habeat
acat per
verita-
mpleat,
uitatibus
xiv, 16.
us, Rom.
4. huius
ris vita,
i in dei
ati sunt,
ur, quo-
ntur, au-
a saluta-
m est, ut
iuium au-
sacra re-
al autem,
ostros li-
anni pa



PECCATUM
IN
SPIRITUM SANCTUM

SACRA PENTECOSTES

VIB. CELESTIUM

IN ACADEMIA JENENSIS

ACADEMIAE PENTECOSTES

TRINITY

— PENTECOSTES TRINITY —



DEI GRATIA
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE
MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HEN-
NEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE

DYNASTA RAVENSTEINII RELIQVA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS

MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVS SANGTI GRATIAM

P R E C A T V R

C I V I B V S.

HISTORIAM dogmatis de peccato in spiritum san-
ctum, eamque antiquioris aevi, persequi, su-
periore commentatione cepimus ac quorum-
dam doctorum, qui meritis in rem sacra-
terum christianorum ac patrum nomine dignitateque il-
lustres sunt, sententias ita enarrauimus, vt quid de illis
statui debeat, simul monstraretur. Adducta sunt duo
illorum genera: alterum eorum, qui peccatum in spi-
ritum sanctum interpretantur de peccato in spiritum
Christi; siue in eius diuinitatem: alterum, qui putant,
fieri peccatum hoc, quando humana mens in vitiis suis
perseueret ac perpetuo omnis resipiscentiae gratiaeque
diuinae expers maneat. Vtraque sententia, vtpote quae
a veritate discedit, confutata est. Nunc vt in argumen-
to hoc, plenius atque vberius explanando, progredia-
mur ac reliqua patrum sacri ordinis de dicto peccato
effata percenseamus: tum etiam eadem diiudicemus, rei
atque ordinis ratio a nobis postulat.

Qui restant, ex eorum numero primus nominandus
est **ORIGENES**. Existimat, illum peccare contra spiri-
tum

tum sanctum, qui postquam salutaris aqua beneficium acceperit, improbus sit ac viuendi rationem, diuinis legibus contrariam, teneat, atque inter alia et hæc scribit: * τῶ ἀγίῳ πνεύματι τὸς κατηξιωμένους, μηδεμίαν εὐλογου εἶναι συγγνώμης τυχῆν μετὰ τῆς αὐτῆς καὶ τοιούτης συμπνώσις τοῖς εἰς τὸ κακὸν ἐπιποπίπτουσι καὶ ἐκτρέπομένοις τὰς τῶ ἐνυπάρχοντος πνεύματος συμβουλίας, eos, qui sancto spiritu digni iudicati sunt; non consentaneum est, veniam consequi, cum tanto et tali instinctu et, vt ita dicam, inspiratione in malum iterum relabentes et consilia spiritus sancti, qui in eis inest, respicientes. Alio loco ** seruatoris nostri effatum de peccato hoc Matth. xii, 32. interpretatur de iis, qui peccauerint μετὰ τὸ τυχῆν ἀγίῳ πνεύματι, post acceptum spiritum sanctum, hisque verbis spiritus sancti munera indicat, ea maxime, quorum quis per sacri lauacri vim particeps fit. Atque ita Origenes, quid de peccato in spiritum sanctum sentiat, haud obscure prodit, contaminari videlicet eo homines, quando post baptismum de recta legis diuinæ via deflectant ac quibus in isto fuerint infructi atque ornati, spiritus sancti dona spernant. Illustrant hoc pariter ac confirmant, quæ ATHANASIVS *** de Origene relata nobis reliquit, eum caussam, cur fieri haud possit, vt qui semel collustrati caeleste donum gustarint ac participes fuerint sancti spiritus, et tamen de nouo in peccata incidant, ii ad resipiscentiam vitamque melio-

* commentar. in Ioannem, tom. II. oper. p. 57. edition. HVTII.

** ibid. p. 359. In serie veteris interpretationis commentariorum Origenis in Matthæum hæc habentur: et hoc attende, quoniam ante galli cantum et ante spiritum sanctum, et in tempore noctis profunda, etiamsi frequenter denegauit quis, viuere potest, quod manifestum est ex eo, quod ter denegauit Petrus; si autem post galli

cantum, vel semel in quocumque periculo constitutus denegauit quis, impossibile est, eum renouari in penitentia, vt iterum crucifigat sibi filium dei, tom. III. oper. Origenis p. 913. edition. DE LA RVE Paris. MDCCXL.

*** comment. in illud euangelii: quicumque dixerit verbum contra filium hominis ceter. tom. I. oper. p. 97.

meliozem renouentur, pro dicto apostolico *Ebr. vi, 4.* seqq. ita explicasse: *deus pater in omnia penetrat et omnia continet animata, inanimata: rationalia, irrationalia; filii autem potestas in sola rationalia sese extendit, quatenus sunt, inter quæ rationalia ethnici sunt, qui blasphemant, nondum recepta fide; spiritus autem sanctus in solos eos sese explicat, qui sui participes facti sunt baptismatis gratia. Quum igitur blasphemia ethnici peccant, in filium peccant, quoniam ille in illis est; possunt tamen veniam consequi; quum vero baptizati, in quos collatum est donum regenerationis, peccant, istiusmodi iniquitas in spiritum sanctum se extendit, quoniam, quum spiritu sancto continerentur, delictum faciunt ac proinde incondonabilis est illorum culpa.* Re ipsa; licet non verbis modoque, eam explicandi, cum Origene congruit THEOGNOSTVS, illius discipulus, scholæ catechetice apud Alexandrinos præfectus, ac seculo post salutarem virginis partum tertio laude doctrinæ ac sanctimonix celebratus atque ἐξηγητής, siue librorum sacrorum interpretis adpellatus. * Qualem opinionem de peccato in spiritum sanctum sequutus fuerit, ex eo haud difficulter conficiendum est, quod putauerit, qui primos et secundos fines transgressus sit, minore pena dignum videri posse; qui autem tertios fines contemserit, venia excludi; fines autem tertios esse initiationem per baptismum et spiritus sancti participatum, iidem teste ATHANASIO. ** Similia his sunt, quæ auctor constitutionum apostolicarum *** tradit: ἐι βλασφημήσαντες, inquit, τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος, καὶ ἀποπίψοντες τὴν χάριν αὐτῆς δωρεάν μετὰ τὴν χάριν, οἷς ἐν ἀφεθήσεως ἔτε ἐν τῷ αἰῶνι τέτω, ἔτε ἐν τῷ μέλλοντι, qui spiritum gratiæ blasphem-

A 3

* eius septem libros hypotyposon recenset PHOTIVS bibliothec. codic. CVI. p. 279. Ab ATHANASIO adpellatur ἀνεὴρ λόγιος, vir disertus, de decretis synodi Nicænæ, tom. I. oper. p. 274. adde HENRIC. DOD-

WELLVM ad PHILIPPI SIDETAE fragmentum, eiusdem dissertationibus ad Irenæum additum, p. 511.

** excitat. loc.

*** libro VI. cap. 18. tom. I. patr. apostolic. COTELERRI p. 351.

sp̄bernia affecerunt eiusque donum post gratiam contemserunt, iis non remittetur neque in hoc seculo; neque in futuro.

Eodem fundamento praua Montani et Nouationi doctrina niti videtur, quum seuerioris disciplinae auctores essent illeque putaret, sacerdotes nullam potestatem habere, grauiorum noxarum, adulterii quippe, homicidii, cultus plurium numinum atque aliarum, veniam adnuntiandi, vti ex TERTVLLIANO * praecipue patet; hic autem istum sequeretur: immo censeret, non atrocium tantum; sed quorumuis peccatorum, post baptismum patratorem, reos communione sacrorum priuandos esse, quam in rem EPIPHANIUS, ** AMBROSIVS, *** AVGVSTINVS, * PACIANVS ** testimonia nobis tradiderunt. Vtrumque in sententiam hanc adductum fuisse, probabile est, falsa notione, quam formarunt in animis suis, peccati contra spiritum sanctum. Hoc enim dum intellegebant de delicto, in cuius culpam quis inciderit, postquam sacro fonte ablutus sit, ex eo sequi, sibi persuadere potuerunt, vt eiusmodi peccati auctor nullam veniam, saltim non a sacerdote; aut ab ipso sanctiori coetu, expectare debeat. Immo eos omnino ita conclusisse,

* libro de pudicitia, quem pro Montanistis contra orthodoxos composuit. Ibi grauiora peccata appellat *irremissibilia, inconcessibilia, immun-dabilia, cap. II. IX. XII.* Antequam ad Montanistas se adiunxit, recte hac de re iudicauit grauiterque scripsit: *non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secunda quis penitentiae debitor fuerit: pigeat saepe, peccare rursus; sed rursus penitere, non pigeat: pigeat, iterum periclitari; sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iterata valetudinis iteranda medicina est. Gratus in dominum exsiteris, si quod tibi*

dominus offert, non recusaueris. Offendisti; sed reconciliari adhuc potes, ceter. de penitentia cap. VII. p. 145. oper.

** *heres. LIX. tom. I. oper. p. 493.*

*** *libr. I. de penitentia cap. I. seqq. tom. II. oper. p. 389. edition. Paris. Bened.*

* *de agone christiano cap. XXXI. tom. VI. oper. p. 190. edition. Antwerp. Benedictin.*

** *epistol. III. ad Sympronianum Nouatianum, quae est tom. IV. maxim. bibliothec. veter. patrum Lugdun. p. 309.*

clusisse, verisimile est, quoniam pro errore suo argumentum ex eo sumserunt, quod apostolus pronuntiet, haud fieri posse, vt semel sancti spiritus participes facti, vbi pristinis prauis cupiditatibus obsequantur, iterum meliore vita renouentur, *Ebr. vi, 4. seq. ****

Sententiam ipsam de peccato in spiritum sanctum, quam Origenes amplexus est atque alii adprobarunt, falsam esse, quis non perspiciat? Inter antiquiores iam ATHANASIVS * atque AVGVSTINVS ** eam confutarunt; nec sine iure. Repugnant ei argumenta, ad probandum maxime idonea tamque perspicua, vt quisque, rei vel leuiter peritus, ad vim eorum adsequendam aptus sit. Quodsi peccatum in spiritum sanctum est quoduis peccatum, post baptismum perpetratum, illius omnes fieri debent rei, qui, quum sacro lauacro purgati fuerint, vitiosis factis se contaminant; hoc autem vbi quis adseuerat, se temere atque inconsiderate iudicare, prodit.

Quam-

*** plura suppeditant: THOMAS ITTIGIVS *dissertat. de haesiarchis sect. II. cap. 13. p. 221.* NATALIS ALEXANDER *hisor. ecclesiastic. secul. III. artic. 4. §. 3. p. 581.* quibus addantur: LAMBERT. DANAEVS *not. ad Augustinum de haesibus cap. XXXVIII. p. 103.* STEPHAN. KENKELIVS *dissertation. de haes. Nouatian. eique oppositis conciliis;* GABR. ALBASPINAEVVS *obseruation. de veteribus ecclesiae ritibus libr. II. obseruat. 20. et 21. p. 195.* IO. FORBESIVS *instruction. histor. theolog. libr. XIV. cap. 3. p. 711.* IOSEPH. AVGVSTINVS ORBI *dissertatione historica, qua ostenditur, catholicam ecclesiam tribus prioribus seculis capitalium criminum reis pacem et absolutiorem neutiquam dene-*

gasse, Mediolani MDCCLXXX. edita, cap. v.

* dicto loco.

** sermon. LXXI. de verbis euangelii Matth. XII. tom. V. operum p. 271. memorate editionis. Ibi inter alia dicit: *paenitentiae quorumque criminum locus in ecclesia non negatur; item: non ait dominus, qui fidelis catholicus dixerit verbum contra spiritum sanctum; sed qui dixerit, hoc est, quilibet dixerit, quicumque dixerit, non remittetur ei, neque in hoc seculo; neque in futuro. Sine ergo sit ille paganus: siue iudeus; siue christianus; siue ex iudaeis; vel christianis haereticus; siue quodlibet aliud habeat nomen erroris, non dictum est ille; aut ille.*

Quamuis enim homo per peccata, quæ sciens volensque committit; postquam salutare fonte christo consecratus est, fidem, deo datam, frangat atque in numero eorum esse, desinat, quos cælestis pater amore, meritis christi innixo, prosequitur; deus tamen fœdus gratiæ, nobiscum initum, firmum seruat ac stabile, ac vehementer cupit, reconciliationem amissæ gratiæ fieri. Efficere istam posse, adfirmamus hocque statuimus, quia cum promissiones diuinæ; tum exempla eorum, qui post circumcisionem; vel baptismum ad veram resipiscentiam adducti et in pristinum dei fauorem restituti sunt, pro nobis pugnant. Exhibent ista sanctissima vtriusque fœderis oracula. Immo quis persuadeat sibi, peccatum in spiritum sanctum esse peccatum, post baptismum commissum, quum christus illud pharissæis, mysterii huius expertibus, exprobrauerit: quum rationes, quibus Origenes ad probandam opinionem suam vtitur, plane falsæ atque erroneæ sint, sanctum quippe spiritum hominibus munera sua tantum in baptismo dare; neque ante istum in illorum animis, veluti templis, habitare; præterea autem, illum in iis esse et operari, in quibus nec pater: nec filius sit, quod recte animaduertit ATHANASIVS * hocque contra Origenem disputat: *certum est, filium, quum sit in patre, in illis etiam esse, in quibus est pater, et spiritum non abesse. Indiuisa siquidem est sancta illa et perfecta et beata trinitas.* **

Aliter de peccato in spiritum sanctum inter antiquiores christianos scriptores AMBROSIVS ac PHILASTRIVS iudicant putantque, committi illud ab iis, qui spiritus sancti diuinitatem negent. Ille, *** *si quis, inquit, sancti spiritus dignitatem, maiestatem et potestatem abneget sempiternam*

* excitat loc.

** videantur: IO. MEISNERVS tractat. theolog. de peccato in spiritum sanctum, capit. 1. §. 10. seqq. et IVST.

FEVRBORNIVS oper. theolog. p. 267. seqq. et 2044.

*** libr. 1. de spiritu sancto, cap. 3. tom. 11. oper. p. 611. edit. Benedict.

*sempiternam et putet, non in spiritu dei eiici dæmonia; sed in beelzebub, non potest ibi exoratio veniæ esse, ubi sacrilegii plenitudo est, quia qui spiritum negavit, et deum patrem negavit et filium, quoniam idem est spiritus dei, qui spiritus est christi. * Hic; siue PHILASTRIUS, quando de Semiarianis exponit ** ac refert, quod illi de patre et filio bene sentiant, unam qualitatis substantiam: unam diuinitatem esse, credentes; spiritum autem non de diuina substantia; nec deum verum; sed factum atque creatum spiritum prædicantes, ut eum coniungant et comparent creaturæ, ad errorem hunc refellendum verba christi adhibet, quibus concedi omnia peccata hominibus, præter blasphemiam diuini et adorandi spiritus, cælesti sapientia pronuntiauerit. Quod argumentum dum opponit Semiarianis, diuinitatis sancti spiritus oppugnatoribus, statuit simul, culpam peccati contra spiritum sanctum eos sustinere, qui istum verum esse deum, inficientur. Sed vterque longe fallitur opinione hac. Si enim is contra sanctum spiritum peccat, qui illius diuinam naturam impugnat; nec vllam spem de venia impetranda habet, pro hac sententia omnino dicendum est, spiritum sanctum dignitate atque auctoritate superiorem esse patre et filio, eam ob causam, quia seruator noster aperte discernit pecca-*

B

ta

* varius est AMBROSIVS in definienda natura peccati in spiritu sanctum. Alio loco statuit, spectare illud ad christum atque absolui negatione, istum esse verum deum, his verbis: *quicumque spiritus non confitetur in christo deum, et*

ex deo atque in deo christum, veniam non meretur, in exposition. euangel. secundum Lucam libr. VII. tom. I. oper. p. 1438. quemadmodum iam supra a nobis adnotatum est.

** de hæresibus, capit. LXVII. p. 132. edit. FABRICII.

ta contra filium hominis et contra spiritum sanctum, ac testatur, illud; non hoc condonari, *Matth. XII, 31. 32. Marc. III. 28.*

Eadem: immo grauiore animaduersione censoria digna sunt, quæ CHRYSOSTOMVS habet. Crimen, de quo differimus, itidem referre videtur ad personam spiritus sancti, * ac causam, cur poena peccati contra filium hominis et noxarum aliarum prætermitti possit; venia autem peccati in spiritum sanctum nequaquam sit expectanda, nec recte; nec considerate explicat. Christum ita loquentem sistit: *πολλὰ κατ' ἐμὲ εἰρήκατε, ὅτι πλάνος, ὅτι ἀντίθεος. Ταῦτα ὑμῖν ἀφίημι μετανοῶσι καὶ ἐν ἀπαιτῶ δίκαις ὑμᾶς· ἡ δὲ τῷ πνεύματος βλασφημία ἐν ἀφεδίεται, ἐδὲ μετανοῶσι, multa contra me loquuti estis, quod seductor sim et deo contrarius. Hæc vobis remitto resipiscen-*
tibus; nec penas ex vobis exigo; blasphemia autem in spiritum sanctum non remittetur, ne resipiscen-
tibus quidem, ac
rationem, ob quam aliud conuicium venia consequatur: aliud minus, his verbis enarrat: blasphemia in christum remittitur, ὅτι αὐτὸν ἠγνόων, ὅστις ποτε ἦν, quia, qualis esset, ignorabant. Blasphemia in spiritum sanctum non remittitur, quia τῷ πνεύματος ἰανῆν εἰλήφασιν πείραν καὶ γὰρ οἱ προφῆται δι' αὐτῆ ἐφθέγγοντο, ἀπερ ἐφθέγγοντο, καὶ πάντες δὲ οἱ ἐν τῇ παλαιᾷ μεγίστην περὶ αὐτῆ ἔχον ἔνοιαν, spiritus sancti sufficientia acceperant experimenta. Nam et prophetae omnia

* nonnulli nomen *spiritus sancti* similitudine alii id personaliter interpretantur et ad tertiam diuinitatis personam referunt.
 apud CHRYSOSTOMVM sumunt essentialiter, quatenus toti trinitatis est commune; non sine tamen veri-

omnia per eam loquuti sunt, quaecumque loquuti sunt, et omnes in veteri testamento multa de ipso acceperant documenta. * Qui Chrysostomum maxime sequutus est ac commentarios eius in epitomen fere rededit, THEOPHYLACTVS habuit opinionem, non erroneam tantum; sed etiam periculosam atque a pietate, qua christus homo prosequendus est, alienam, iudæos quippe, quum seruatori, filio hominis, conuicium fecerint, non peccasse ac sine pœnitentia impetrasse veniam. En verba eius, latine tantum describenda: itaque iudæi, quando viderunt christum manducantem et bibentem ac versantem cum publicanis et meretricibus, aliaque omnia more filii hominis facientem, ac deinde arguerunt eum ut comedonem et vini potorem, in hoc erant venia digni et neque pœnitentia super hoc ab eis exigetur. Videbantur enim rationabiliter offendi, ac quibusdam interiectis: et ita disce, quod ille, qui blasphematur in filium hominis, videns, eum humano more viuere, et dicens, hic meretricarius est, vorax et vini potor, dum christus hoc facit, talis, etsi non pœniteat, de hoc non reddet rationem; qui autem blasphematur in spiritum sanctum, hoc est, in spiritualia opera christi: dicit, ea esse diabolica, nisi pœnitentiam egerit, veniam non adsequetur. ** Quæ omnia quam peruerse sint tradita, facile videndum est.

Ex iam adductis THEOPHYLACTI verbis patet, quod existimauerit, deum conuicii aduersus spiritum
 B 2 sanctum

* homil. XLII. in Matth. tom. I. ** commentar. in quatuor euang.
 explanatio. in nouum testamentum, gelia p. 67.
 p. 476.

sanctum veniam dare, vbi homo, isto contaminatus, respiscat ac meliorem recipiat mentem. Idem statuit CHRYSOSTOMVS atque iterum christum, hæc dicentem, exhibet: *non ergo mihi; sed spiritui sancto contumelias exaggerare, conamini: quapropter nisi penitentiam agatis, nec in futuro punitionem effugietis.* * Ad vtrumque adiungimus BACHARIUM, qui seculo quinto post natum christum vixit. Ne quis ex christi effato de peccato in spiritum sanctum, haud condonando, desperationis argumentum capiat, ad illud remouendum hæc scripsit: *ego autem dico, etiam hoc ipsum desperare de domino, in spiritum esse peccare, quia dominus spiritus est et ideo non remittitur ei, quia non crediderit, dominum reddere sibi posse, quod perdidit. Quid est enim, quod nobis obisset de venia? Dominus noster omnipotens est. Numquid omnipotenti impossibile est, delere peccatum. Dominus noster bonus est. Numquid in illa præcipua bonitate et perfecta potest hoc vitium cadere, vt non audiat deprecantem?* ** Nititur hoc erronea notione peccati in spiritum sanctum, cuius propriam indolem si memorati atque alii auctores recte intellexissent, nullum est dubium, quin contrariam tulissent sententiam, veniam videlicet a peccato hoc plane remotam esse.

Nec silentio transire debemus, IRENAEYM culpam peccati in spiritum sanctum iis tribuere, qui in libros diui-

* dicto loco.

** epistola ad Ianuarium de recipiendis lapsis. Existat inter orthodoxographa, quæ IO. IACOB. GRY-

NAEVS Basil. MDLXIX. edidit, p- 485. et maxim. bibliothec. patrum Lugdunens. tom. VI. p. 1174.


diuinos, præsertim euangelistarum atque apostoli Paulli, in quibus sancti spiritus, veluti paracleti, eiusque donorum mentio fit, tam sunt iniuriosi, vt auctoritatem eorum labefactare, sibi sumant. Postquam enim de eiusmodi peruersis atque inflatis hominibus hæc enuntiauit: *vani omnes et indocti, et insuper audaces, qui frustrantur speciem euangelii et vel plures, quam dictæ sunt; vel rursus pauciores inferunt personas euangelii; ac quibusdam interpositis: Marcion totum reiiciens euangelium; immo verò se ipsum abscindens ab euangelio, partem, gloria- tur, se habere euangelii. Alii vero vt donum spiritus frustrentur, quod in nouissimis temporibus secundum placitum patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quæ est secundum Ioannis euangelium, in qua paracletum se missurum, dominus promisit; sed simul et euangelium et propheticum repellunt spiritum, ceter. de iisdem subiungit: per hæc igitur omnia peccantes in spiritum dei, in irremissibile incidunt peccatum.** At vero hoc longe distat a sententia, quam seruator de peccato hoc declarauit. Quamuis enim supra omnem dubitationem positum sit, grauius eum peccare, qui tam impudens ac temerarius est, vt scripturis sacris diuinam dignitatem detrahere audeat, ac spiritum sanctum, auctorem librorum, diuinitus exaratorum, vehementer lædere; minus tamen, hoc agendo, tale peccatum committit, quale

* *libr. III. aduersus hæreses cap. 11. p. 223. edit. GRABII: adde, quæ* editione Parisiensi anni MDCCX. p. 192. adnotauit.
RENATVS MASSVETVS in sua

quale a christo indicatur. Quod ubi quis adfirmat, necesse est, ut cunctos antiscriturarios, quemadmodum vocantur, siue sint christiani; siue iudæi; siue mulamedani; siue profani ac superstitiosi homines, in ordinem eorum adscribat, qui contra spiritum sanctum peccant, iisque voluntatem, ad deum reuertendi, ac per consequentiam spem pristinae gratiae diuinæ recuperandæ plane adimat; id quod tamen uon, nisi absurde atque ini-que, fieri potest. Si quis præterea se oraculis diuinis inimicum præbet, non soli sancto spiritui; sed etiam patri ac filio aduersatur, quoniam scriptura sacra iis rebus adnumeranda est, quæ ortum suum tribus diuinitatis personis debent atque omnibus istis sunt communes; pro christi autem effato peccatum in spiritum sanctum diuersum est a peccato in filium hominis.

Enarratis his, vos, C I V E S, adloquimur ac, quum per dei gratiam dies adsunt, quibus oracula diuina de spiritu sancto eiusque mirificis muneribus, in christi legatos collatis, adnunciantur, hortamur vos ad pia studia temporis huius festi, ita peragendi, ut de sanctissimi spiritus beneficiis lætari possitis. Vestrarum hanc in rem partium est, omnibus vitiorum ac libidinum illecebris fortiter resistere; occasionem autem oblatam, vobis ad salutem sempiternam consulendi, minus negligere; sed orationes sacras attente ac diligenter audire ac quæ iis proponitur, cælestem doctrinam in pectora demittere, prætereaque erga nostros verbi diuini interpretes liberalem animum testari. P. P. primo die pentecostes anni christiani M DCC LIII.

(L. S.)





00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3




VD 18

W 17

Retrow








B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



51

SCATVM
IN
VM SANCTVM.

AD
PENTECOSTES
E CELEBRANDA
ADEMIA IENENSI
OSITA COMMENTATIO
TERTIA.

IS STRAVSSIANIS.

